

*gloriam.* — Primo enim ex his auctoribus, qui docent contritionem procedere ab habituali gratia effective, Vazquez 1. 2, disp. 211, c. 3, consequenter docet contritionem non esse dispositionem præparantem hominem ad infusionem primæ gratiæ, neque esse in eo genere causam ejus, ita ut non sit verum dicere: Quia homo conteritur, ideo illi gratia infunditur; vel: Quia magis amat seu perfectius convertitur, ideo perfectior gratia illi infunditur, sed solum sit contritio finis proximus infusionis gratiæ, ut ita vere dicatur: Homini infunditur gratia ut conteratur, et major gratia ut perfectius conteratur. Hanc ergo doctrinam repetit in disp. 219, c. 2, nam. 13, et ex illa reddit rationem præsentis assertionis. Quia primus actus dilectionis et contritionis est de se actus valde proportionatus primæ gloriæ promerendæ, et alioqui procedit a persona jam grata per habitum infusum, qui in illa præsupponitur, et a quo actus ille formatus procedit, neque aliter in ullo signo naturæ existit; ergo nihil illi deest quominus sit meritorius de condigno; et non primæ gratiæ, quia illam supponit; ergo primæ gloriæ.

16. *Impugnatur.* — Sed hæc ratio maxime nobis displicet in fundamento suo; putamus enim negari nullo modo posse, quin contritio seu peccatoris perfecta conversio sit vera dispositio ad gratiam, et causa ejus in illo genere, ita ut verissime dicatur Deum infundere gratiam peccatori intuitu contritionis in illo præexistentis ordine naturæ, atque adeo quia contritus est. Neque tutum esse credimus hoc negare, quia in Scriptura et Patribus maxime fundatum est, et ex illis fere expresse id docet Concilium Tridentinum, ut in lib. 8 late tractavimus. Deinde, posito illo fundamento, non satisfacit ratio quoad ultimam consequentiam. Nam, licet ex illo principio recte inferatur illum actum esse meritorium de condigno, non tamen recte aut efficaciter ulterius inferatur esse meritorium primæ gloriæ respondentis primæ gratiæ, a qua dicitur talis actus procedere; videtur enim magis consequenter in illa sententia concludi, quod sit meritorius augmenti gratiæ, et consequenter gloriæ. Probatur assumptum, quia juxta illam sententiam prima gratia supponitur data homini absolute et simpliciter, et nullo modo ratione contritionis ut factæ, sed tantum ut finis, propter quem proxime datur; ergo actus ille est quidam bonus, ac liber usus gratiæ jam receptæ et possessæ; ergo per illum

meretur homo ulteriorem gratiam et gloriam, et non est cur mereatur id quod jam habet vel in re, vel in jure hæreditario et certissimo. Quamvis enim absolute non repugnet eandem gloriam esse hæreditatem et præmium meriti, nihilominus quando homo potest per actus suos novum præmium obtinere, non est cur dicamus mereri idem novo titulo, et non potius ulterius ad nova præmia acceptari.

17. *Impugnatur amplius exemplis.* — Explicatur et confirmatur exemplo supra posito, nam si quis in eodem instanti justificationis post consummatam justificationem per primum Dei amorem et infusionem gratiæ, ac remissionem peccati, efficiat novum actum humilitatis vel gratiarum actionis, ut in Angelo potest facile intelligi, et in homine non est impossibile, tunc per illum actum procedentem a gratia non meretur primam gloriam, ad quam per gratiam acceptus jam erat, licet in eodem instanti, sed meretur novum gradum gratiæ, ut probavi, et consequenter gloriæ; sed juxta dictam sententiam ita se habet, qui in instanti omnino prævenitur per habituales gratiam, et ex illa elicit primum dilectionis actum, nam ille tam supponitur justus ad primum actum quam ad secundum, et utrumque elicit ex habitu; ergo æque tendit in ulteriorem gradum gratiæ per primum actum, sicut per secundum. Possumusque alio exemplo uti: si ponamus hominem antea attritum baptizari, et in instanti in quo consummatur baptismus, et justificatur, jam non habere actum attritionis, et potius in eodem instanti per gratiam baptismalem ad novum propositum bene vivendi excitari, ille profecto per talem actum non merebitur primam gloriam, sed novum augmentum gratiæ et gloriæ, quia ille actus omnino est posterior justificatione, et non aliter est meritorius, quam si posterius tempore in alio instanti fieret; ergo perinde est de contritione judicandum, si nullo modo est causa primæ justitiæ, nisi finalis, et ab illa jam omnino præsupposita procedit. Denique declarari potest exemplo meriti de congruo per actum procedentem ab auxilio. Nam quia illud auxilium, verbi gratia, primum, a quo primus actus meritorius de congruo procedit, ad talem actum omnino supponitur, et solum datur, ut ille fiat, et non quia ille fit, ideo actus ille est meritorius novi auxilii, quod interdum posset dari in eodem instanti temporis, et posterius natura, estque tanquam augmentum gratiæ, eo modo

quo in auxiliis gratiæ potest esse augmentum, et quo Augustinus dixit: Gratia meretur augeri, ut aucta mereatur et perfici; ergo pari modo, si habitus gratiæ æque supponitur ad actum contritionis, tanquam auxilium necessarium ad illum efficiendum, contritio, quæ per illum libere fit, erit meritoria illius augmenti, cujus illa gratia capax est, et non primæ gloriæ, sed augmenti ejus, et ita censeo in illa sententia magis consequenter dici; tamen quia fundamentum ruinosum est, tota machina ruit.

18. *Quam rationem afferant Thomistæ.* — Secundo igitur alii auctores, præsertim Thomistæ, licet omnino defendant illum actum effective fieri ab habitu gratiæ, nihilominus negare non audent quin sit dispositio præparans peccatorem ad gratiam recipiendam, et vera causa in eo genere dispositionis seu materialis causæ infusionis primæ gratiæ, et ideo communiter utuntur illa distinctione, quod in genere causæ materialis præcedit gratiam, licet in genere efficientis ab illa procedat, et sit posterior. Hanc ergo distinctionem præsentī rationi applicant, quia, licet ille actus, quatenus antecedit ut dispositio, non sit meritorius de condigno, tamen cum in re ipsa procedat effective a gratia, ac proinde ab homine grato, in posteriori signo erit meritorius de condigno, non autem primæ gratiæ, quia illam supponit et ab illa habet rationem meriti tanquam a suo principio, neque etiam augmenti primæ gratiæ, quia jam prima gratia data est intuitu illius, et proportionata illi; ergo primæ gloriæ. Quam rationem magis explicans Soto in 4, d. 16, quæst. 6, et quæst. 2, art. 1, dicit contritionem posse considerari, vel ut est prius natura a libero arbitrio quam a gratia, vel ut a gratia efficitur, et est natura posterior. Et priori modo dicit non esse meritoriam, sed tantum esse dispositionem materialem ad primam gratiam, at vero, posteriori modo spectatam, esse meritoriam primæ gloriæ, ratione jam facta.

19. *Confutatur proxima ratio; quod vel contineat errorem.* — Verumtamen distinctio hæc sic declarata multa indiget consideratione, quia vel errorem involvit, vel non potest subsistere. Cum enim in priori membro Soto considerat contritionem ut procedentem a libero arbitrio, vel præcise loquitur de libero arbitrio, excludendo omnem gratiæ influxum et cooperationem, vel loquitur de libero arbitrio ut cooperante gratiæ; prior conside-

ratio involvit errorem et metaphysicum et theologicum, posterior vero ipsam partitionem destruit; ergo. Prior pars minoris probatur, primo, quia non potest talis actus concipi, ut prius in aliquo signo naturæ elicitus a solo libero arbitrio quam ab aliquo principio gratiæ, sive illud sit actuale auxilium, sive aliquis gratiæ habitus. Quia liberum arbitrium præcise sumptum non est sufficiens principium contritionis, ut ex fide constat; non potest autem actio esse ab uno principio insufficiente, et quasi partiali, prius natura, quam ab alio comprincipio, quod integrum principium complet. Quod maxime verum est in præsentī, quia liberum arbitrium comparatione gratiæ est minus principale principium, quod agere non potest, nisi a gratia motum, et quasi instrumentum ejus. Et confirmatur, quia non potest intelligi liberum arbitrium ut eliciens contritionem, prius natura quam intelligatur Deus ut cooperans illi, tum ut causa prima ordinis supernaturalis cooperans per concursum pertinentem ad ordinem gratiæ, et ut dans principium proximum gratiæ, vel supplens illud; ergo illa consideratio contritionis est impossibilis. Et præterea illa admissa, contritio sic concepta non solum meritoria non esset, verum etiam nec dispositio ad gratiam, quia liberum arbitrium præcise spectatum non potest se ad gratiam disponere secundum fidem, ut contra Pelagium et reliquias ejus satis in lib. 3 et 8 probatum est.

20. *Vel seipsam destruat.* — Probatur jam altera pars minoris, quia si in primo membro distinctionis est sermo de actu ita procedente a libero arbitrio, ut etiam a gratia simul procedat, instatur alio dilemmate. Nam vel est sermo de libero arbitrio, ut operante cum solo auxilio actuali gratiæ, vel ut cooperante cum habituali gratia. Prius membrum est contra ipsum Sotum, qui putat actum contritionis non elici, ut a principio proximo, a voluntate cum solo actuali auxilio, sed ab habituali gratia. Nam hinc fit ut contritio non possit esse prius natura a libero arbitrio illo modo considerato, quia quod in re non est, nec prius natura est, nec sub ea ratione concipi potest. Posterius autem membrum destruit primam distinctionem ipsius Soti. Quia non potest esse contritio prius natura a libero arbitrio quam a gratia illa, cui ipsum liberum arbitrium cooperatur, ut jam ostensum est; ergo si illa gratia est habitualis, non prius est contritio a libero arbitrio quam a gratia habi-

tuali, et consequenter nec potest contritio prius natura esse vel fieri quam gratia habitualis sit, quia non potest gratia habitualis prius natura facere quam esse. Atque hinc infertur in universum, contra hanc opinionem, illam duplicem considerationem esse impossibilem, ut supra lib. 8 latius dixi, et illa posita non minus esse meritorium illum actum in uno signo naturæ quam in alio. Probatur hæc illatio, quia in utroque instanti naturæ ab eodem principio gratiæ habitualis procedit, quia, in quocumque signo naturæ dispositio illa consideretur, debet necessario concipi ut procedens ab aliqua gratia; ergo necessario concipienda est, ut procedens a gratia habituali, quia non aliter procedit, ut supponitur, quia si vere concipiatur, ita concipienda est, sicut in re fit; ergo in quocumque signo naturæ existat, meritoria erit de condigno. Item ille actus non minus est formatus per gratiam in primo signo quam in quocumque alio; ergo non est minus meritorius. Antecedens patet, quia repugnat actum, per gratiam habitualement factum, esse vel concipi informem, cum per ipsum gratiæ habitualis influxum formetur; in illa autem sententia, ut dixi, non potest ille actus concipi, ut in re ipsa factus ab homine, nisi ut procedens ab habituali gratia. Nam si fieret a voluntate cum solo alio auxilio actuali, tunc non posset fieri rursus ab habituali gratia, quia non potest fieri simul a duplici principio proximo totali in suo ordine, nec duplici actione, quorum altera prior natura, alia posterior natura sit. Hæc ergo sententia in illo fundamento procedens explicare certe non potest quomodo contritio sub una ratione sit meritoria de condigno, et non sub alia, et consequenter vix potest explicare cur non sit meritoria non tantum gloriæ, sed gratiæ, ut posterius natura ratione talis actus inditæ, quia si infunditur ratione talis actus, et ille jam est formatus, et meritorius de condigno, infundetur propter meritum ejus. Quod si dicas hoc repugnare, quia supponitur gratia esse principium talis actus, fateor repugnantiam, dico tamen hanc sequi ex illa sententia, si illa dispositio supponatur procedere ab habituali gratia. Nisi dicatur bis procedere, et a duplici principio sufficiente et totali in suo ordine, scilicet, prius ab aliquo auxilio, quod cum sola voluntate sufficit ad eliciendum talem actum, et iterum ab eadem voluntate cum habitu, quod non minus repugnans et vanum est.

21. *Inter eos, qui ultimam dispositionem ab*

*habitu gratiæ non procedere aiunt, quam rationem quidam asserant quod mereatur primam gloriam.*— Aliter ergo sustinenda est assertio, ejusque ratio reddenda, supponendo aliam sententiam, quam verissimam credimus, de efficiente principio illius primi actus, qui est dispositio ad primam gratiam habitualement, nimirum proximum principium gratuitum ejus non esse ipsammet primam gratiam, seu habitum ejus, sed esse actuale auxilium, per quod Deus supplet efficientiam habitus. Et hoc principio posito, duobus item modis potest assertio defendi, et ratio ejus reddi. Prior est, si dicamus illum primum actum esse meritorium primæ gloriæ, non tamen pro illomet instanti temporis, sed prout durat in tempore immediate sequenti post illud instans. Ratio prioris partis est, quæ in principio capitis est posita, quia pro illo instanti actus non est ab habitu gratiæ, quod requiritur ad meritum de condigno, et licet in illomet instanti aliquo modo formetur, est tantum quasi passive et concomitanter, quod non satis est ad meritum de condigno. Ratio vero posterioris partis est, quia in tempore immediate post instans jam ille actus conservatur per habitum gratiæ, etiam physice, vel saltem moraliter, et est ab homine jam grato quoad continuationem seu conservationem; ergo id satis est ut ille actus incipiat esse meritorius de condigno, intrinsece quidem ipso tempore, extrinsece vero et quasi per ultimum non esse talis meriti in primo instanti; ergo sic erit meritorius primæ gloriæ de condigno. Quod si instes, quia potest contingere quod ille actus non continuetur post illud instans, respondendum erit consequenter ad hanc sententiam, ex illa hypothesi talem hominem non habiturum gloriam ex merito proprio, sed ut hæreditatem ad quam admittitur ex merito Christi. Neque illud esset inconveniens, ut supra dixi. Quia vero casus moraliter et humano modo non contingit, ideo modum illum merendi primam gloriam satis esse, ut absolute et simpliciter dicere possimus justos mereri primam gloriam per actum, quo se perfecte ad gratiam disponunt. Et hunc modum insinuat Bellarminus, dicto cap. 20, cum in fine illius ita concludit: *Quod si concedatur rem eandem multis titulis posse deberi, sine dubio ultima dispcsitio, post infusionem gratiæ continuata, meritoria erit vitæ æternæ.* Idem Gabriel in 4, ubi supra, nam de actu dilectionis, qui est dispositio ad gratiam, sic inquit: *Ut procedens non est proprie meritorius*

*de condigno, quia non est a charitate elicitus, sed ut continuatus est meritorius, quia gratia et charitas continuationem præveniunt.* Et infra expresse negat actum illum esse meritorium in primo instanti, sed in sequentibus.

22. *Impugnatur tamen primo illorum ratio.*— *Impugnatur secundo.*— *Tertio.*— Nihilominus hic modus nobis non satisfacit. Primo, quia non defendit universaliter assertionem, et (ut ita dicam) per se ex vi perfectæ dispositionis ad gratiam, sed est quasi accidentalium, et in rigore contingens, quod, per se loquendo, posset deficere. Secundo ac præcipue, quia, licet verum sit illum ut continuatum habere novum meritum de condigno, tamen illud est meritum augmenti gratiæ, ut in superioribus probavi; ergo consequenter est meritum augmenti gloriæ; ergo non est meritum primæ gloriæ, quia non potest utrumque cadere sub idem meritum, servata debita æqualitate. Tertio, quia si actus ille solum est meritorius primæ gloriæ ratione continuationis, non potest mereri de condigno totam gloriam correspondentem primæ gratiæ infusæ ejusdem actus, ut in primo instanti fuit dispositio ad illam; ergo non est meritorius de condigno primæ gloriæ. Probatur consequentia, quia prima gloria est tota illa ad quam ratione primæ gratiæ homo ille acceptatur. Unde sicut prima gratia non dicit aliquam minimam gratiam, nec eundem gradum gratiæ in omnibus, sed totam illam quæ primo infunditur juxta dispositionem recipientis, ita prima gloria est tota illa quæ primæ gratiæ debetur. Hanc ergo gloriam non potest mereri actus ille ratione solius continuationis. Quod probatur, quia illa continuatio, quæ immediate sequitur post instans justificationis, non est definita, sed potest esse major vel minor, et quocumque instanti signato post primum, antea fuit, et consequenter etiam ejus meritum non est definitum, donec certa duratio inter duo instantia signata determinetur; ergo non potest immediate post instans justificationis esse definitum meritum tantæ gloriæ, quanta respondet primæ gratiæ, sed successive fieret et cresceret, donec tanto tempore duraret, quantum esset necessarium ut perveniret ad illum gradum. Unde revolvimur in rationem jam factam, quia per totam illam durationem augetur gratia, et gloria, cum adæquatione ad meritum additum per continuationem; ergo illudmet non potest esse meritum primæ gloriæ.

23. *Quarto.*— *Quinto.*— *Erasio non satisfaciens.*— Eo vel maxime (estque quarta ratio) quod meritum solius continuationis parum est, ut dixi supra, respectu ipsius actus, prout in principio fit quoad substantiam et existentiam suam; ergo non potest esse sufficiens ad merendum de condigno totam primam gloriam, præsertim immediate post instans justificationis, sed oportet continuationem esse multi temporis, et in illo non augeri gratiam neque gloriam, quod absurdum est. Potestque quinto explicari et confirmari, quia si ponamus, quod impossibile non est, voluntatem desistere ab actu, quo se disposuit ad gratiam, immediate post instans justificationis, et in eodem tempore elicere novum actum meritorium, certe per illum non mereretur primam gloriam, sed augmentum gratiæ, ut videtur per se notum; ergo eadem ratione contritio, ut continuata post primum instans justificationis, cum gratiæ augmentum, et consequenter gloriæ mereatur, primam simul gloriam mereri non potest. Dices fortasse, cum totus actus post primum instans perseverat, non mereri tantam gloriam, ratione solius continuationis, sed etiam ratione suæ entitatis, seu secundum se totum. Sed hoc non satisfacit, quia ille actus nunquam procedit a gratia habituali secundum entitatem seu productionem suam, sed solum secundum continuationem seu conservationem; ergo si ad meritum de condigno necessarium est, ut actus procedat a gratia habituali quam supponat, nunquam potest esse meritorius de condigno gloriæ, nisi ratione solius continuationis, prout aliquam circumstantiam meriti addit actui jam producto. Vel certe e contrario si actus ille immediate post instans justificationis potest esse meritorius de condigno ratione gratiæ supervenientis ipsi, et informantis illum, licet ab illa non prodierit, profecto idem meritum gloriæ habere potest et debet in primo instanti justificationis præcise spectato, etiamsi amplius non duret.

24. *Explicatur jam vera ratio de merito primæ gloriæ, quod non sit contritio prius natura quam formetur a gratia.*— Est ergo vera et communis explicatio hujus meriti secundum communem sententiam, quæ in illo actu duo instantia naturæ distinguit. Primum, in quo elicitur a libero arbitrio moto a Spiritu Sancto per solum speciale auxilium; secundum, in quo gratia ratione talis dispositionis infunditur, per quam per-

sona sanctificatur, et consequenter omnes ejus boni actus, qui in eodem instanti moraliter consanctificantur et formantur. Contritio ergo priori modo spectata non meretur de condigno primam gloriam, tum quia ut sic non est a gratia habituali, nec per illam adhuc formatur; tum etiam quia non supponit primam gratiam, neque illam de condigno meretur; ergo nec meretur primam gloriam. Dicunt aliqui ipsam contritionem, vel actum dilectionis Dei per se facere hominem dignum prima gloria, etiamsi a gratia non procedat, nec illa informetur, et ita mereri illam de condigno, vel independentem a gratia habituali sanctificante, vel merendo etiam illam de condigno. Sed hæc doctrina satis est in superioribus refutata, nititur enim in fundamento valde falso, quod solus actus formaliter expellat peccatum, et hominem sanctificet, et filium Dei adoptivum intrinsece constituat. Respondetur ergo negando assumptum, quia in lib. 7 satis improbatum est.

25. *Sit autem in posteriori naturæ, cum jam formata intelligitur — Suadet ex Tridentino.* — Altero vero modo spectata contritio, ut jam formata per gratiam in posteriori signo naturæ, esse potest meritoria primæ gloriæ. Ad quod suadendum induci possunt verba Concilii Tridentini dicto cap. 16: *Cum ipse Christus Jesus tanquam caput in membra, et tanquam vitis in palmites in ipsos justificatos jugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, comitatur, et subsequitur, et sine qua Deo grata et meritoria esse non possent, nihil ipsis justificatis amplius deesse credendum est, quominus plene illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, divinæ legi pro hujus vitæ statu satisfecisse, et vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam, vere promeruisse censeantur.* Hæc enim omnia integre ac omnino in justificatis, et contritione eorum a primo instanti intrinseco justificationis inveniuntur; ergo nihil illis deest, quominus per ipsam contritionem vitam æternam (id est, primam gloriam, ut supra exposui et probavi) vere ac de condigno promereantur. Minor probatur, quia in illo instanti vere est homo justificatus, et Christus in eum virtutem influit tanquam vitis in palmitem. Ubi nomine virtutis non solum habitus, sed etiam auxilium et omne donum gratiæ sanctificantis intelligitur, ut ex subjunctis verbis constat,

et supra etiam probatum est. Hæc ergo virtus et antecedit bonum contritionis opus per auxilium efficacæ præveniens, et comitatur per auxilium adjuvans seu concomitans, et subsequitur per gratiam sanctificantem et formantem talem actum. Unde verissime dicitur in Deo factum et Deo gratum; ergo nihil illi deest, juxta doctrinam Concilii, ut sit meritorium de condigno. Ergo est sic meritorium primæ gloriæ. Probatur hæc consequentia, tum quia nullum præmium magis proprium illius meriti et operis assignari potest, cum non possit esse meritum gratiæ, quæ supponitur ut principium ejus, saltem constituens illud in esse meritorii de condigno, ad primam autem gloriam non comparetur ut ad principium, sed ut ad terminum; unde illam non supponit, imo nec acceptationem ad illam, ut statim dicam; tum etiam ex verbis Concilii, quod ibi specialiter vitam æternam expressit, et fortasse non sine mysterio. Expendi etiam potest quod in canon. 32 absolute definit Concilium, *hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut sint etiam merita ipsius justificati.*

26. *Suadetur deinde ratione. — Declaratur expendendo triplicem modum necessitatis gratiæ ad merendum.* — Ratio autem assertio nis est, quia non est de ratione operis meritorii de condigno, ut ad illud antecedit gratia habitualis tempore vel natura in genere causæ efficientis, quia sufficiens principium efficiens talis operis esse potest motio divina, quæ quidem cum sit ab ipso Spiritu Sancto movente, licet nondum inhabitante, ex parte principii efficientis est sufficiens ad meritum, si aliunde cæteræ conditiones concurrant; sed in eo actu concurrunt cæteræ conditiones, nam in eodem instanti est actus hominis justus, et est formatus per gratiam sanctificantem; de cæteris autem res est clara; ergo nihil ibi deest. Declaratur amplius vis hujus rationis, quia gratia habitualis, ut sanctificans personam merentem, tribus modis potest cogitari, ut conditio necessaria ad meritum de condigno. Primo, ut principium physice eliciens actum meritorium, et hoc titulo sine dubio non est necessaria, ut ostendit ratio facta, quod illa efficientia cum æquali bonitate et sanctitate actus potest per auxilium suppleri. Unde multi putant gratiam habitua lem, quæ est in essentia animæ, nullam efficientiam physicam habere in actus meritorios, et nihilominus esse necessariam ad meritum. Alii non admittunt virtutes morales

infusas, et nihilominus dicunt actus ipsos morales ab homine grato factos esse meritorios de condigno, etiamsi a gratia habituali vel habitibus ejus physice non fiant. Imo etiam admissis virtutibus moralibus per se infusis, actus elicit ab acquisitis possunt esse meritorii, vel semper, si sint in homine justo, ut aliqui volunt, vel aliquando, si ex auxilio supernaturali aliquo modo fiant; ergo ex hac parte non est necessaria gratia habitualis ad hoc meritum, neque defectus talis efficientiæ obstabit, quominus contritio sit meritoria de condigno. Secundo, potest gratia concurrere ut dignificans moraliter personam operantem, antecederet ad opus ipsum, ita ut ipsum opus in primo signo naturæ, in quo fit, intelligatur prodire a persona sancta, et digna. Et hoc modo potest quidem gratia conducere ad meritum, vel ad majorem valorem et æstimationem ejus, non tamen est conditio simpliciter necessaria quoad illam antecessionem, quia actus non habet principalem suum valorem a persona proxime operante, sed a Spiritu Sancto movente per auxilium, et dante actui bonitatem illius valoris et meriti capacem. Tertio, requiritur gratia, ut tollens obstaculum peccati, et constituens personam capacem justitiæ apud Deum, ita ut illum sibi obligare et debitorem suum efficere valeat. Et hoc titulo est gratia simpliciter necessaria ad meritum de condigno. Quod recte distinxit Cajetanus, dicta quæst. 114, art. 7, dicens gratiam dupliciter requiri ad meritum de condigno, scilicet, ut constituens hominem in statu remunerabili, vel ut principium actus meritorii. Et primum quidem est simpliciter necessarium, quia si quis sit indignus remuneratione, non potest esse capax meriti de condigno talis remunerationis. Ac propterea non potest quis sibi mereri de condigno reparationem post lapsum, quia tale meritum diceret ordinem ad statum, in quo quis sit indignus præmio, ut supra dictum est. Secundum autem intellectum de principio physico non est necessarium, ut dixi; intellectum verò de morali, licet ordinarie sit antecederet necessarium quoad merita quibus aliquod gratiæ augmentum, vel aliquod donum gratiæ, de justitia fit merenti debitum, non tamen est simpliciter necessarium ut gratia præcedat per modum principii active influentis, sed sufficit ut adsit gratia in instanti ipsius meriti, et dignificet actum, sanctificando personam, et constituendo illam in statu remunerabili.

Cum ergo ita adsit gratia contritioni in primo ejus instanti, et ex parte principii suppleatur per auxilium quidquid necessarium est ad tale meritum, nihil deesse credendum est contritioni sic formatæ, quominus primæ gloriæ de condigno meritoria sit. Quod solutione argumentorum magis confirmabitur.

27. *Ad primum argumentum in num. 3.* — Ad primum de expectatione primæ gloriæ ex merito, respondetur peccatorem, priusquam justificetur, non posse absolute sperare gloriam ex merito, cum illud non habeat; post justificationem vero posse illam sperare ex merito in ipsa justificatione habito. Unde non solum potest hanc spem habere post justificationem, sed in ipsomet instanti justificationis, si ordine saltem naturæ post consummatam justificationem statim hujusmodi spem concipiat. Et præterea etiam ante justificationem potest peccator quasi sub conditione sperare gloriam ex merito ipsiusmet pœnitentiæ, si per illam ad justificationem pervenerit, seu potest sperare se acturum talem pœnitentiam, qua et justitiam ex misericordia, et gloriam ex merito consequatur. Nihil enim horum per se repugnat, neque in argumento impugnatur.

28. *Ad secundum.* — Ad secundum de æquiparatione gratiæ et gloriæ, negatur consequentia, quia, licet nemo acceptetur ad gloriam, nisi per gratiam, et ideo nemo mereatur gloriam sine gratia, non est tamen necessarium ut simul gratiam mereatur, nisi tunc solum quando gratia non supponitur. Si vero gratia supponitur gratis infusa, potest quis mereri gloriam, licet non mereatur gratiam. Unde ad replicam, quia si gratia est gratis infusa, etiam acceptatio ad gloriam gratis facta supponitur, cum per ipsam gratiam fiat, et ideo repugnat fieri ex merito, respondetur imprimis distingui posse acceptationem ad gloriam ab ipsa gloria vel redditione ejus. Nam ex parte gloriæ non repugnat simul duplici titulo dari, scilicet, ut hæreditas filiationi adoptivæ debita, et ut corona merito respondens, tum quia Christus habuit gloriam corporis utroque titulo, magisque rigoroso; tum etiam quia inter illos duos titulos non est repugnantia, et unus addit perfectionem alteri. Ex parte vero acceptationis distingui potest duplex acceptatio, juxta duplex fundamentum ejus, una ratione gratiæ, altera ratione operis meritorii, et ita facile intelligitur unam esse gratuitam, et aliam remunerativam; quia cum sint distinctæ secundum ra-